



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

Principium 5. Obligatur ad Divinum officium, quisquis participat  
Ecclesiasticum Beneficium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

Ratione relatum: *Ante horam orare* (puta ex legitima causa) *providentia est, post horam negligentia, in hora obedientia.*

*Ratio.*

Quia non minus Ecclesia circa recitationem Horarum certum tempus, quam alias circumstantias præscribere potest, cum ergo ex communi sensu Doctorum & c. 1. de certum, miss. colligatur, eam certum tempus pro officio divino præscripsisse, merito hoc perinde ac aliæ circumstantiæ observatur.

*Praxis.*

Hinc deducitur 1. Eum, qui Matutinum cum Laudibus obsequæ legitima causa primùm Vespertino tempore diceret, peccato veniali obnoxium fore uti Layman. l. c. cum Suar. & aliis communiter docet.

Deducitur 2. Etiam illum non immunem fore à peccato veniali, qui Horas minores sine omni honesta causa usque ad octidnem differret, vel Vesperas & Completorium manè reciteret, uti idem Laym. l. c. cum aliis docet.

Deducitur 3. Etsi privatim juxta Suar. Azor, Less. & alios communiter licitum sit Matutinum cum laudibus pridie circæ finem temporis Vespertini recitare, cum ut S. Thomas 2. 2. q. 187. art. 2. discurret, Solemnitas diei sequentis juxta consuetudinem Ecclesiæ à Vesperis præcedentis diei incipiat, in publica tamen recitatione id non licere, nisi diebus illis, quibus ipsa Ecclesiæ consuetudo id permittit, uti communiter Authores docent.

*PRINCIPIUM V.*

Obligatur ad divinum Officium, quisquis participat Ecclesiasticum Beneficium.

*Sensus.*

Hoc est, præter Clericos in Majoribus Ordinibus constitutos, & Religiosos professos ad chorum destinatos, etiam Clerici, qui licet in minoribus tantùm ordinibus constituti Beneficium aliquod Ecclesiasticum actu participant, & possident.

*Autho-*

Desumptum est ex Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9. in Bulla reform. & communi sensu Authorum.

*Ratio.*

Quia Beneficium datur propter officium, cum nihil sit aliud, quam Jus perpetuum percipiendi redditus ex bonis Ecclesie ratione spiritualis officii, Ecclesiastica auctoritate constitutum.

*Praxis.*

Hinc deducitur 1. Etiam illum teneri ad Officium, qui non omnes fructus Beneficii sui, sed talem duntaxat partem, quæ ad sustentationem sufficit, habet, ut Bonac. apud & Cumberlandium l. 4. c. 2. du. 1. docet.

Deducitur 2. Etsi aliqui non improbabiler ab officio divino recitando excusent eos, qui tenue adeo Beneficium possident, ut ad sustentationem non sufficiat, contrariam tamen sententiam communiorem & menti Ecclesie Beneficium conferentis conformiorem esse, eò quod Jura indistinctè omnibus Beneficiatis eam obligationem imponant; tales autem verè etiam sint Beneficiati.

Deducitur 3. Eum, qui culpabiliter omittit officium ad restitutionem partis fructuum officio omisso respondentis fabricæque aut pauperibus faciendam obligari, uti Concilium Lateranense cit. & Bulla Pii V. decreverunt.

## §. II.

De Principiis ad Beneficium Ecclesiasticum  
Spectantibus.

## PRINCIPIUM I.

Nil prodest Beneficium Ecclesiasticum, quod  
non est Canonicè obtentum.

*Sensus.*

Hoc est, jus percipiendi redditus Ecclesiasticos nec licite nec validè percipere ac possidere potest, qui illud vel per legitimum electionem, vel postulationem, & confirmationem